[I]bilem ętatem perueniant. De ordinando abbate.

In ordinatione abbatis illa semper
consideretur ratio. ut hic constituatur quem
sibi omnis cohors congregationis secundum timorem
dei. siue etiam pars quamuis parua congrega
tionis saniori consilio elegerit. Vitę autem meri
to et sapientię doctrina. eligatur qui ordinan
dus est. etiam si ultimus fuerit in ordine congre
gationis. Quod si etiam omnis congregatio. uicijs
suis quod quidem absit consentientem personam pari
consilio elegerit. et uicia ipsa aliquatenus in
noticiam peruenerint episcopi. ad cuius diocesim
pertinet ipse locus. uel abbatibus aut uicinis xpi
anis claruerint. prohibeant prauorum preualere
consensum. et domui dei dignum constituant
dispensatorem. scientes pro hoc se recepturos mer
cedem bonam. si illud caste et zelo dei faciant.
sicut e diuerso peccatum si negligant. Ordina
tus autem abbas. cogitet semper quale onus sus
cepit. et cui redditurus est rationem uillicatio
nis suę. Sciatque sibi oportere magis prodesse